



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 123. Indignum facinus Legati Pontificii in Anglia

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. reverentia, ut suo officio illum defuisse,
A.C. 1459. nemo facile sibi persuaserit, in illa præ-
 cipue rerum vicissitudine, ubi Papa ad
 prosperos consiliorum suorum successus
 Regis benevolentiam colere debebat.

§. CXXIII.

*Indignum facinus Legati Pontificii
in Anglia.*

*Polyd. Vir-
gil. histor.
Angl. lib. 28.*

Ceterum Episcopi Interamnensis im-
 prudentia non modice turbas ac dis-
 sensiones in Anglia aluit, fovitque; ha-
 rum origo fuit, ut alias meminimus, ex-
 itialis discordia, quæ inter Eboracensi-
 um & Lancestrensi-um factiones regna-
 bat. Harum prima a Rosa rubra, altera
 vero a Rosa candida cognominabatur,
 scilicet a colore, quo quælibet factio se-
 se ab altera distinguebat. Legatus Ebo-
 racensi Duci, & Comitibus Sarisbe-
 rensi ac Varwicensi, juratis Regis
 hostibus favit, remque gessit perinde ac
 si contra infideles præliandum esset, hunc
 in finem plenariam indulgit peccatorum
 remissionem omnibus illis, qui in Henri-
 cum legitimum suum Regem arma capef-
 ferent: eos vero, qui ejusdem partes
 tuerentur, aut eidem auxilia pararent,
 anathemate perculit: Sane facinus erat
 Apostolicæ Sedis Legato indignum, qui
 potius Angelus pacis, quam Vir dissens-
 sionum

tionum, atque turbarum esse debuisset. saecul. XV.
A.C. 1459
Summus Pontifex Legati sui culpam apud Regem deprecatus, eidem per Papiensem Episcopum insinuat, omnia se incio, inconsultoque attentata fuisse; & id ipsum veritati consonum fuisse proditur, ex eo, quod Legatum Anglia excedere jussum, ac Romam reducem carceri mancipari, atque instructo causae suae iudicio, castigari praecipit.

§. CXXIV.

*Tumultus ab Eboracensi factione
in Anglia restaurati.*

Sopiti sunt in Anglia aliquamdiu factionum tumultus, cum Dux Eboracensis in Hiberniam, Sarisberiensis autem & Warwicensis Comites, Caletum aufugissent: brevi tamen innotuit, quam facile inconstans populi genium auctoritati, atque horum Principum arbitrio serviret. Rex enim, postquam hosce Duces, eorumque fautores perduellionis reos declarasset, Sommersetum recens ad Ducatus dignitatem evectum unacum copiis Caletum ablegavit, eumque urbis Gubernatorem constituit, dato negotio, ut auctis praefidiis Warwicensem Comitem urbe excedere compelleret. Vix ille in conspectu portus erat, & ecce! ingens globorum & flammaram tempestas a Caletensibus in
Hist. Eccles. Tom. XXVIII. Rr eum